DISSERTATIO
INAUGURALIS POLITICO-MEDICA
DE
INFLUXU SEXUS SEQUIORIS IN VITAM, ET STATUM.

QUAM

CONSENSU, ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS

ET

DIRECTORIS,

SPECTABILIS DOMINI DECANI

ET

CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM

PRO

MEDICINAE DOCTORIS LAUREA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDA

IN

ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE PESTANA

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

M. ALBERTUS ROTH

HUNGARUS M. BECSKEREKINO-TORONTALIENSIS.

Theses adnexae in Palatio Universitatis minori defendentur die -a Maii a. c.

PESTINI, **1841**.

TYPIS TRATTNER-KÁROLYIANIS.

MAGNIFICO, AC SPECTABILI

DOMINO

ANTONIO KISS

DE

ITTEBE,

SACR. CAES. REG. APOST. MAJESTATIS
CONSILIARIO REGIO

INCLYTI COMITATUS TORONTALIENSIS VICE COMITI EMERITO, COMITATUS HUIUS, ET COMPLURIUM INCLYT. COMITATUUM TABULAE JUDICIARIAE ASSESSORI.

VIRO

DE PATRIA, ET PROMOVENDIS STUDIIS MERITISSIMO

SCIENTIS, ET HUMANITATE
ADMODUM INSIGNI.
DOMINO ET PATRONO
GRATIOSISSIMO
IN
PIAE VENERATIONIS
CULTUSQUE PERPETUI
TESSERAM
EXIGUAS HASCE PAGELLAS,
CEU PRIMOS STUDII LITTERARII
FRUCTUS
ANIMO DEVINCTISSIMO
DEVOVET

AUCTOR.

Quidquid egerimus utile sit,
secus vana est, gloria nostra.

Der Menschen Leiden zu versüssen,
Das höchste Glück ganz zu geniessen,
Ein Helfer, Tröster hier zu seyn,
Dies Gott! lass mich bei allen Sorgen,
Bei Tageslast, an jeden trüben Morgen
Gerührt empfinden, ganz mich weih'n
Zu trösten, helfen, zu erfreuen.

C. W. Hufeland.

Introductio.

Influxus feminae in vitam socialem.

Quisquis naturam fixo intuetur oculo, abundis convincetur argumentis, in eius sinu vagum quoddam chaos nuspiam exstitisse, nec dominari potuisse, cum hoc tamquam ipsam possibilitatem inducendi ordinis excludens, nulla ordinante manu in praesentem, quam admiramur rerum harmoniam concentrari potuisset Leges causalitatis, parsimoniae, teleologiae s. finalitatis, nexus, et mutui consensus unde actio, et reactio pendet; lex conservationis perpetuae individuorum, seu organica, seu anorganica sint, totidem sunt normae, secundum quas, et per quas natura non solum suos accepit natales: verum nunc etiam conservatur. — Leges hae non secus pertinent ad essentiam universae naturae, ac illae sensibilitatis, irritabilitatis, et reproductionis ad essentiam vitae animalium, quae partem solum vitae naturae possident. Sublatis illis legibus ut conditione sufferetur vita quoque universae naturae, ut conditionatum. — Hinc lege conservationis sui certo tempore incolumis quidem servabitur rerum ordo; cum tamen omnibus entibus finitis, sui sint statuti in existentia limites; etsi nullibi certo definiti; hinc nisi in his ipsis conamen adesset, antequam ultimum vitae suae cyclum percurrant, existentiam suam per mag-

num generationis opus in alios transferendi, et nisi anorganica plastica naturae manu reparentur, brevi in locum vitae, triste incurreret mortis silentium. Sublatis quippe partibus omnibus, tollitur totum.

Hac lege stante, natura immortalis est, existentiam tamen suam sine dubio altiori debet principio: illi nempe, quod coelum, terram, et aequora potenti regit Numine. — Instinctus hic existentiam suam in alios transferendi cunctis organicis proprius est, qui vario tempore, diversa intensitate semet manifestans, multiplici via suûm obtinet finem, juxta illud: „*Multa fiunt eadem, sed aliter*“ In animalibus saltem partem sensibilitatis constituit, atque in solo homine in amorem verum, cuius origo ultra sidera repetenda est, exaltatur. Momenta quibus instinctus hic provocatur, relate ad plurima animalia ipsa altior Naturae vita suppeditat; iustum quippe est, ut altiorem matris vitam, ipsa etiam individua, velut organa eius, participent. — Homo solus in nisu semet conservandi minus stricte ab influxibus naturae pendet, quamvis et ab illis haud plene liber sit, sed amore sexuali donec aetas favet continuo agitatus, omni loco, tempore, generi suo propagando studet. Continua haec nisus sexualis praesentia fortissimum vinculum est, quod homines in unam societatem invitavit, conservat nunc, et retinebit assiduo.

Studium securitatem contra invasores jurium, imbecillis hominis status prima vitae periodo, et desiderium mentis excolendae, vitamque commodiorem reddendi magna quidem sunt ad societatem ineundam invitamenta, sola tamen non sufficiunt. Sic nec Religio, quae tum solum, ubi societas fundata erat invaluit, sufficiens ad societatem ineundam invitamentum praebet; restrictio enim libertatis, multiplicia onera civibus fe-

renda, injustitia etc. quemque alienum redidissent, qui libertatem arbitrio, immunitatem ab oneribus duro servitio postponere noluisset, et homo ut diu vixit ad summum nomadicam vixisset vitam, prout hoc et nunc multis gentibus solenne est. — Nisus sexualis itaque, qui animalia etiam ferocissima sub aestu venereo socialia reddit, ipsos quoque homines in societatem vocavit non temporaneam ut bruta, sed ob continuam nisus sexualis praesentiam, ob perennem in soboles parentum amorem, ob innatam homini erga eos, quibus propius nectitur teneritudinem, nullo unquam tempore disiungendam. Hinc per se patet ex societate hoc titulo coalescente, nobilissima promanasse emolumenta tam physica, quam psychica, eo maiora, quo societas amplior evasit, quae in societate nomadica adumbrata solum conspicimus. — Etsi vero certum sit, marem in generanda sobole positivum agere factorem, ob gravia tamen onera; quibus is qua sponsus in conquirendis vitae mediis, qua civis, autem in exequendis suis muneribus premitur, pro innata hominibus debilitate, qua frequentius sensualitatis illecebris, quam rationis principiis parent facillime se subtraherent societatis vinculis, nisi in eadem nobili illa voluptate vitae sexualis simul inesset, ut continuo revocaretur. Homini a natura monogamiam maxime consentaneam esse exempla plurima docent; partim etiam ideo, qnod haec educationi sobolum et prosperitati futurae maxime faveat, quod vires sexuales, et oeconomicas minime exhauriat, et vir etsi fors ob incommoda, quam nuptam sibi e natura rei feriunt, et nisui sexuali exerendo aditum vetant in devia abreptus, mox post multa pericula, quae vaga libido comites habet cautior, verum monogamiae pretium perspiciet, familiaeque suae, et sic societati quoque cuius membrum integrans constituit, indivulsus adhaerebit. Femina itaque exegui valoris virium suarum conscia, et opis aliorium saepius, quam vir indiga dum

sponte sua societatis nimis avida est, viros etiam insuperabili vi in eandem trahit: proin societatis directe, commodorum vero hinc resultantium indirecte mater est. Cum itaque perspicuum sit, sexum sequiorem maximum exeruisse influxum in homines sociales reddendos, proximus Dissertationis meae scopus est duo inquirere:

I. Qualem influxum exerat in vitam singulorum tam physicam, quam psychicam,

II. Qualem influxum exeruerit, et exerat nunc in societatum vicissitudines.

I. De influxu feminarum in vitam singulorum tam physicam, quam psychicam.

Primum est, ut demonstrem „Quemnam influxum exerat femina in vitam singulorum tam physicam, quam psychicam.“ Si verum est, sanam mentem, in corpore solum sano delitescere, si verum est sanitatem conditionem absolutam esse, sine qua non ad id, ut antequam Laetheis sopiamur undis, patriae illa persolvamus debita, quorum omnis primo respirio suscepto, obstringitur, extremo solum exspirio terminandis; profecto, qui a matre sanum obtinuit corpus is haereditatem habet summam, cum Croesi opibus non commutandam. — Sanitatem sobolum a parentum, praecipue vero a debitis matris influxibus dependere neminem latet, qui novit semen in terram sterilem jactum in marcidam so-

lum exerescere plantam, quae antequam fructum ferat, exarescit. — Foetus a matre non solum materiam plasticam, sed et ulteriorem virium vitalium, et intellectualium à patre derivatarum, evolutionem, et modificationem obtinet: hinc si verum est illud principium politicomedicum" *Felicitatem status omnis in sana, robusta, et intelligente progenie consistere*", opus esset, sollicitos esse de debita sexus sequioris formatione, seu corpus, seu animum respicias; eo a fortiori, quod huius organisatio, et character moralis maiorem exerat in formandum foetum influxum, quam factor virilis. Si itaque sexus sequior intime persvasum haberet, primariam suam destinationem esse *sanam generare sobolem* unde felicitas status pendet: si nosset adversa illa, quae parte sua foetum ferire possunt; certe pro proprio sibi in soboles amore illis potius condiscendis incumberet, quae Hygiaea hoc respectu praecipit, neque cultam se putaret, et parem ad id ut mater fiat, si alta matris officia ignorando, sola iucunda hucdum didicisset.

A. Influxus feminae in foetum.

Quominus foetus matris secus etiam sanissimae in utero debite formetur, sequentia obstant:

Aetas matris nimis iuvenilis, aut protracta. Non nimis iuvenilis: quia organismus iuvenilis sibi ipsi plasmando adhuc intentus ex poenu egena sufficientem materiam plasticam, pro formatione foetus, sine detrimento sui largiri nequit. — Non aetas protractior, quod in hac metamoryhosis potius regrediens praevaleat, energiaque vitalis langveat. Optima aetas secundum Carum a 19-o usque 40 annum censetur. —

Pelvis conformatio abnormis.

Morbi matris haereditarii, ut Epilepsia Hysteria, Phtysis, Rachitis, scrophulae: langvente enim vi vitali matris, et foetum hinc participare constat.

Langvor functionum vegetativarum, quare nutricione matris retardata, et foetus minus nutritus, debilis saepe tabidus nascatur oportet.

Abusus ciborum stimulantium, et multum nutrientium vel *et e contra*, sic *et abusus potuum spirituosorum*. In matribus quippe validioribus plethoram, et erethysmum, haemorrhagias, et abortum, foetus vero vel hypertrophiam, vel debilitatem, aut tabem causant. Quod abusum spirituosorum adtinet, tristes observamus, potum cremati in classe inferiore proh dolor! de die in diem magis invalescere, summo in foetus nocumento Foetus enim, omnes rationes matris participant, et ubi per abusum stimuli huius debilitas, et exhaustio vitae nerveae provocatur, quin fiat ut foetus hinc non patiantur non concipio. Sic *Esquirol*, et *Pinel* referunt plurimos fatuos, et fatuas, matre ebriosa natas fuisse. Teste *Riedlino* femina ebriosa e septem foetubus quos peperit, nec unum adolescere vidit. *Zückert* dicit: si vel maxime conceperint ebriosae, aut ante tempus parient, aut foetus edent tam imbecilles ut vix per aliquot dies supervivant — Accedit huc inclinatio ebriosarum in rixas; sub quibus abdomen saepe patitur; et quoties non abortiuntur tales ebriosae, quae titubando infirmissime gradiantes labuntur? Abusum spirituosorum causam plurimarum nervosium, abortuum expositionisve infantum, *) et infanticidii plures egregii auctores ad-

*) Si infantes aura iam asperiore existente exponantur, Cyanosi, induratione textus cellulosi, et pernionibus adficiuntur, et longe frequentissime enecantur.

notarunt, quare huius restrictionem inter maxime pia desideria referri quis dubitabit? Sicut in illis potus cremati; ita in superioribus classibus hydromania, Theae et Coffeae abusus, suas habet in foetum noxas. Per priora quidem laxitas, cahexia serosa, et hydrocephalus, per posterius antem ob plethoram abdomialem inductam vitia plethorae iam recensita, oriuntur.

Motus sub graviditate intermissus noxius est, quod digestio ceteroquin tempore hoc debilior per motum neglectum magis langveat, unde et chylificatio, et sangvificatio imperfectior humorum cruditatem generat, quare in foetu habitus lymphaticus pro parte originem suam habet. — Sicut motus neglectus, ita motus sive activus, sive passivus validior aeque nocent; quare saltus, aut vectio super strata aspera, labores graviores cum adstrictione virium majori, ruri saepe corpore antrorsum inclinato peragendi, ob inductam uteri compressionem situs foetus irregulares, et curvaturas, haemorrhagias, partus praematuros, aut abortus causant.

Vana pectoris constrictio per thoracula, unde debita uteri expansio, et incrementum impeditur ut potentia nocens summe deleteria tam quoad foetum, quam matrem iam per *Hippocratem*, *Plattner*, et alios auctores inculpabatur. Per constrictionem enim hanc respirationem, et sangvificationem alienatas reddi omnis perspiciet, quanto autem turbae obortae circulationis, nutritionis noxie in foetum influant per se patet. Porro ob pressionem in uterum factam truncus foetus postrorsum urgetur, sicque mento a pectore remoto partus facialis, aut sincipitalis oriri potest. Paulo superius dixeram ob compressionem uteri situs irregulares, et curvaturas membrorum oriri, quod idem thoraculis fit. Jam *Hippocrates* s. II. de Genitura ait: „Corpus embrionis in uterosi hic angustetur, mutilari est necesse. — Sicut enim arbores, quae terra continentur, neque satis amplum spatium habent

sed vel a lapide vel alia quapiam re detinentur cum exoriuntur, tortuosae evadunt, aut parte una tenues altera vero crassae: sic certe circa puerum contingit si pars quaedam corporis in utero loco augustiore, quam antea contineatur." Causa partus facilis in Syria, vel apud nostrates rusticas justo inde repetenda, quod feminae thorculis aut vestibus constringentibus quibusvis abstineant.

Quod *coitus*, quem nonnulli initio graviditatis innocuum esse statuunt sub graviditate semper noxius esse possit natura rei, et exempla docent. *Klinkosch* dicit, quod foetus primis temporibus, teneris, et facile solubilibus fibris constet, qui amplexione fervidiore ubi abdomen imprimitur, uterus vero dehiscens per membrum virile validius sursum et ad letera urgetur, facillime annihilari potest. Cum uterus post conceptionem vitam vegetiorem vivat, vasaque eius magis evoluta turgidiora sint, hinc facile per irritationem coitus, haemorrhagiae, aut inflammationes oriri possunt. Sic idem auctor casum narrat feminae quinquies praemature parientis, quae eo solum graviditatem ad finem perduxerat, quod a coitu penitus post conceptionem abstinuerit. Sic iam *S. Hyeronimus* monuit: „Illi, qui pro bono publico, et geneneris humani matrimonio iunguntur ad minus animalia irrationalia sequerentur et dum feminae illorum gravidae sunt, fructum pullulantem per coitum non destruant, seque non qua maritos, aut amatores, sed qua amicos exhibeant " — In nigritia, et regno Benin in Africa coitus sub graviditate lege vetitus est. Coitu frequentiori abortum procurari posse feminis notum est.

Usus *remediorum drasticorum* scopo abortum procurandi, si hic etiam non contingat, quantum detrimenti foetui adferre debeant facile est dijudicatu vel exinde, quod partum aut praematurum, aut immaturum

cieant, ubi foetus enixus ceteroquin summe irritabilis et sensibilis influxibus cosmicis plane non, vel aegre saltem resistere valet, et ubi patriae civis summe utilis futurus nasci potuisset nunc in detrimentum eius natus est. Eiusmodi remedia abortiva (praeter causas iam relatas) consvetissima, et sexui alteri bene nota sunt: Calomel, sapo, aloë, sabina, gentiana, saltus, thoracula, coitus, aut irritatio sola mechanica, *) et drasticorum series reliqua. — Haec matrum impietas haud rara iam testante *Ovidio* ad formam venustam solum conservandam patratur; ille namque canit:

Nunc uterum irritat, quae vult formosa videri,
Raraque in hoc aevo est, quae velit esse parens.

Ad excessus hos praecavendos, sensumque gravidarum eliciendum adlaborandum esset, ut feminae dum gravidae sunt, se non infelices sed fortunatas putarent; quare iam apud Hebraeos receptum erat, ut eo maius feminis largiatur aestimium, quo plures illae parerent. Et romani gravidas pluris aestimarunt, cum solis gravidis ipsorum consules eviabant.

Consvetudo pia quarundam gravidarum tempore hyemis, ubi hae saepe super glacie gradientes facile labuntur, aut pelvi minus contra frigus munita, etiam per horas in ecclesiis morentur, magnos habet influxus, quatenus circuitu sangvinis in utero retardato, stases et inflammationes generantur, unde hic ad contractiones spasticas, et haemorrhagias invitatur, omnes sequelas ex-

---

*) In nosocomio ad S. Rochum anno abhinc proxime elapso puella abortum sibi per rachidem pennae procurans, in sequelam inflammationis, et subsequae gangraenae mortua est, ubi sectione instituta corpus delicti in utero adhuc infixum repertum fuit.

contractione uteri, haemorrhagiis oriri solitas, iam expositas post se trahens. — *J. P. Frank* commemorat tumorem, ex hac causa ortum, sub partu omni respectu molestissium.

Animi affectus sive excitantes, sive deprimentes magnum in organismum femineum sensibiliorem, et irritabiliorem, et per hunc mediate in foetum exerere influxum experientia quotidiana docet. Matres namque mansvetae, nec sub graviditate affectibus indulgentes (ubi animus utique mobilior est) mansvetas generare solent proles, ubi e contra matres animi affectibus praecipuae irae indulgentes, proles clamcrosas spasmis adflictas generant. — Saepe ob influxum matris iracundae ipse foetus spasmis agitatus, situs irregulares acquirit, quibus diutius durantibus curvaturas membrorum oriri posse ex praecedentibus patet. Quoties autem fit, ut post animi commotionem talem mox abortus sequatur Nec animi affectus deprimentes noxio in foetum influxu per matres carent. Per hos enim ut maerorem, tristitiam, metum, terrorem, infracta vi vitali nervorum et processus vitalis totius organismi alienatur, retardatur, unde et formatio foetus langvidior fit, quare in talibus partus serotini difficiles (rursus suis periculis stipati) obtinent, et infans debilitate nervosa laborans nascitur.. Huc animi affectus deprimentes, per persvasionem partus difficilis futuri, aut talis adstipulati, quam vetulae aut obstetrices in longa saepe historia narrant, provocati, referuntur; si itaque unquam profecto in graviditate femina senes socias fugiat, quibus operantibus et virginum castitas, et uxorum fidelitas saepe seducitur! Huc denique influxus ex autopsia sectionum cadaverum operationum chirurgicarum, executione mortuorum, rerum multo odoratarum, et innumeri alii ob angustias loci hic non comemorandi, referendi sunt.

His praemissis influxus sexus sequioris (cui convenit causas nocentes evitare vel non) in foetus vitam physi-

cam abunde patet, indeque morborum infantilium plurimorum (quorum non pauci per neglecta reliqua quoque officia matrum orintur) uberrima scaturigo est, ut assererem, calamitatum plurimarum, quas homo patitur non alios quam parentes esse auctores, et a quibus vitam participavit, ab illis et mortis repetat momentum —

B. *Influxus feminae in infantem.*

In prioribus exposui summe recessarium esse ad felicitatem tam singulornm, quam totius status, ut proles sana pariatur, quam genitam interest sanam conservare, quod ut obtineatur summe necessum est, hanc materno nutriri lacte, ut sic ultro quoque cum matre commercium tam materiale, quam dynamicum foveat. Cum tamen Dissertationis meae scopus sit influxum solum feminarum in vitam physicam, et psychicam demonstrare, ideo brevibus, tractatum hunc exponam, dicens.

Influxum ex lactatione propria intermissa: ex lactatione per nutricem, et nutritionem artificialem, et influxum per educationem.

In universa natura observamus regulam saluberrimam, quod fructus organismorum nonnisi maturi a Stirpibus suis secedant, sic bulbilli plantarum, et semina, soboles Polyporum. Animalia ferocissima sollicite nutriunt ulterioris evolutionis causa, foetus suos, sola mater humana ex argutiis subsumtis sobolem propriam, manibus aliorum incuria concredere potest. Officium tamen hoc sanctissimum impune violari nequire, damna intermissae lactationis docent: tales namque legis naturalis violatrices, febri puerperali periculosa, mammarum inflammatione, harum suppuratione, induratione atque tandem carcinomate, Leucorrhoea, sterilitate, et mutationibus uteri diversissimis ominosissimisque

salutantur. Hae ob exaltatam uteri vitalitatem facilius concipiunt, sed ex eadem prorsus causam et facilius abortiuntur, quod receptivitate in morbos maiori praesente, his adfecti abortiantur, vel ni id fiat, foetus eorum ob energiam uteri infractam imbecilliores evadunt, sicque noxie influunt. — Sicut enim in natura omnia periodice fiunt, vigiliasque, quies excipit, sic et uterus suos habeat evolutionis, et revolutionis polos, ideoque graviditatem, lactatio ut sequatur, natura statuit.

Mater infantem proprie non lactans eum minus diligit, instar peregrini tractat, unde passim evenit, ut in eadem familia erga quásdam proles se dulcem, novercam in alias exbibeat matrem, qua talis dein a prolibus dilecta. Mater incommodis lactationis non adsveta, ea deinceps minus fert, dura et aspera fit, et in proles suas ut tyrannis summa saevit. *) Quoties non tum vitia nexus et cohaesionis, et alia omnis generis vitia traumatica obtinent. Oritur exinde aversatio parentum, et morum cruditas, nulla ratione alteranda. Nam „*naturam si furca expuleris tamen usque redibit.* — Sunt quídem casus matrem a lactatione excusantes sic debilitas magna, Galactirrhoea, Phtysis, Scrophulosis, Rachitis, Syphilis evoluta sed extra hos neutiquam licet. Multae e grege matres nominari cupientis vel ideo saltem infantem ipsae non lactant, ne mamarum venustati, et totius habitui quidpiam detrahatur! Anne ideo creati sumus ut nobismet ipsis solum complaceamus? et mammae ne ideo solum creatae sunt ut cor-

---

*) Memini exempli ubi mater prolem ipsa non lactans hanc subseque etiam vilissima e causa barbaro tractavit modo, atque semel pedibus calcitrans hepatitidem periculosam concitavit.

poris venustatem augeant? Omnis mater prolem suam ipsa non lactans aliis raro convenientibus rationibus subjicit, nam infans propriae matris lacte non nutritus in similia devenit adjuncta, ac animalia, et plantae in aliud clyma delata.

Transeo abhinc ad incommoda ex lactatione per nutrices, in infantes reddundantia. Haec quidem minora sunt, si lac e nutrice bona scaturiat; ast justae indolis nutrices obtinere, hic labor, hoc opus est, et optima etiam nutrix imperfectum solum sistit lactis materni surrogatum. Nam etsi aetas, constitutio, tempus partus, lac amborum similes sint, vitale tamen illud principium quo lac maternum gaudet longe aliud est: non enim dantur res sibi mutuo perfecte aequales, licet similes. — Ob affectuum vehementiam quibus nutrices utplurimum incultae agitantur, lac noxiam contrahit qualitatem non raro lethalem; omnis nutricum actio coactiva, et mere mercantilis est, nec enim amori innititur. — Accedit quod nutrices plurimae saginari volentes gulae, et potu indelgeant: quoties sic non oriuntur turbae chymopoeseus, et chylificationis, et ex hinc humorum cruditas? quam innocuam quoad infantem mansuram quis sane admittet? Imo morbos quoque nutricum in infantes transivisse experientia omnium temporum constat. Igitur nutricis ope infans tunc solum lactandus esset, ubi mater morbis superius recensitis laborans hunc lactare vel non potest, vel non conveniret, tum namque e duobus malis minus seligendum, et matri tali, nutrix sana praeferenda esset.

Expositis naevis lactationis interest, ut de influxu ex nutritione artificiali agam, quatenus proles infelicissimae matribus, et nutricibus orbae, hoc modo

sustentantur. Si haec juste fiat, ita ut lac animalis, huic humano proximum, calore animali adhuc gaudens, non dococtum adhibeatur, sicque naturae quam maxime succurratur, atque lac pro ratione aetatis infantilis facilius digestibile fuerit, haec ut dico methotus minus nocumento erit, ac incongruus ille modus infandes lacte cum sacharo et farina in pultem coctis farciendo, unde ob indigestionem materiarum saburra primarum viarum, et humorum cruditas inducitur, per quam habitus lymphaticus, laxus, provocatur. Per ingestorum quantitatem abnormem arcor primarum viarum, colica flatulenta, retentio alvi pertinax, aut diarrhoea, vomitus, aut cholera, efflorescentiae cutis, spasmi, imo mors suffocativa oriuntur, ut exemplum tale celeberrimus Gölis adnotavit. *)

Quod nutritionem itaque adtinet, haec plurimis gaudet naevis. Matres enim, nutrices, et curatrices fere cunctae se maximum praestitisse censent, si infantibus quo largius cibum propinaverint, quod ad quodvis etiam clamores fit, cogitantes eos ex fame provenire. Inde dein est quod infantes, quidam contiuno mandere vel angve, et cane peius, dictum *Zutzel* ore tenere, et sugere cogantur. In priori casu infarctus, et morbi paulo superius enumerati (ubi de nutritione artificiali egissem) in posteriori autem aphtae oris, et laxitas gingivarum sequuntur. Praeterea cum ipsae potibus spirituosis indulgeant, eos nec infantibus denegant, unde plethora, orgasmus, et inflammationes topicae pulmonum, menyngumve locum habent. Ob inductos per causas supra expositas morbos infantum, hi sensa sua aliter non, quam clamore manifestare valentes, non raro

*) Auctor hic celebris casum refert mortis suffocativae, per ingestorum copiam, de qua mater consolabatur eo, quod infans dilectissimus adminus fame perire non debuerit!

vitiis pulmonum, hernia, aut prolapsu adficiuntur, cum dispositio in hos praecipue morbos, aetate hac sit nimia.

Restat ut de influxu nocivo ex educatione prima vitae periodo exclusive matribus, nutricibus, aut curatricibus concreditae agerem; equidem nulla aetas mansvetius tractari vult, nulla pluribus curis eget, nulla exemplis magis movetur, quam aetas infantilis. Si itaque mater impudica fuerit, similia stygmata prolibus quoque imprimet, quae tardius nulla arte tolli valent. —

Nocet immodicus amor, quod effrenas reddat soboles, sed longe magis crudelitas matrum nocet, quod per hanc sensus honoris, et virtutis, amorque infantilis erga parentes suffocetur, et inhumanitas, cruditas semper altiores radices figendi desvefieri nequeunt. Bene monuit egregius scriptor dicens: *Quo semel imbutæ fuerit recens, servabit ordorem, testa, diu.* — Spartanae mulieres infantes suos virgis cedebant, ut eos aeneos redderent: proles utriusque sexus nudas luctari sinebant, ut amoris sexualis vim infringerent, qui spiritum martialem custodit: ast nostra tempora non duros milites, sed pacis amantes cives postulant, ideo ut verbera exulent, et praematura conversatio sexus arceatur iustissima sunt desideria. Hoc posterius quidem tanto magis, quod eo admisso citius quam expedit furtivus amor se insinuat, atque sic exitiali onaniaé vitio, quod validi grandinis instar, teneras iuventutis gemmas devastat, praecaveatur.

Ex neglecta per matres, nutrices, aut curatrices munditie debita impetigines, et cahaexiae oriuntur; infans enim, qui novem mensibus in liquore Amnios delituit, deinceps etiam balneis mundantibus, et vestimentis mundis delectatur, non secus ac germinans planta sub roris tutela optima incrementa capit. —

Motus infantibus aut nullus conceditur, unde artem incedendi tarde condiscunt, aut praemature coguntur ad incessum. In hoc posteriori casu curvaturae membrorum oriuntur, et ob robur musculare corpori sustentando necessarium, deficiens, saepe contusiones, luxationes, et fracturas patiuntur. *) Cum de motu loquar, brevibus quoque motus undulatorii in cunis mentionem facio, quo saepe commotiones validiores causatae ốmnino noxius est; quatenus ob affluxum sangvinis in caput foetus ceteroquin maiorem, per motum affluxus hic augetur, et saepe convulsionibus, menyngitidibus, hydrocephaloque acuto ansam suppeditavit. — Non minus inculpanda est gestatio prolium semper unilateralis, aut manuductio parva brachio uno solum prehenso.

Ubi de nutritione egeram, alimentorum, et potulentorum mentionem feci, sed cum de educatione sermo est, et nonnulli plane hac educationem extensam credant, ideo superfluum vix erit aliqua huc specialius spectantia adtingere. Nonnullae matres ob avaritiam turpissimam cibum infantibus, et pueris, puellisque relative pauciorem administant, quaré hi dein omnibus viis, et per devia student, cibum assequi posse; datur sic campus ad astutiam, mendacia, et rapinas, non solum rerum esculentarum, sed et aliarum quarumvis, quas sequelae dein tristissimae excipiunt. — Accidit ut matres per praedilectionem prolis unius, huic undique, ergo et in ciborum propinatione magis faveant; hinc iam mature semen invidiae, odii, mysantropriae, et discordiarum iacitur, et sic porro. Haec quis facile ut vilia habens

*) Hic facile quis obverteret, prima vitae periodo in ossibus partem animalem praevalere, indeque ossa magis flexibilia, et elastica, minus vero fragilia esse. Etsi hoc certum sit, neminem tamen vel maxime de flexibilitate persvasum futurum credo, qui experimenti causa infantis foemora flectere tentaverit.

incongrue adplicita asseret; sed ego influxus noxios per feminas in singulos, et omnes deducere volens, commemorare debui, etenim neminem fugit, a tenuibus initiis, ordiri maximas res hominum — Potus coffeae, et aliorum spirituosorum ad regulas normamque pertinet; esus carnium, aut alimentorum conditorum pro necessitate habetur, quare fit, ut per diaetam lautam, multumve stimulantem phlogoses oriantur, et animus impetuosus evadat. —

Plerique infantes solertissime in cubilia aëre mephytico scatentia, tenebricosa, et omni respectu damnanda, recluduntur, unde fit ut ob sangnificationem solum in iusto aëre possibilem, impeditam, habitus cahecticus, et dispositio exaltatior inducatur, ideo infantes tales ad auram minime asperam elati, mox adfectione, organorum respirationis, membranarumve fibrosarum, aut serosarum experiuntur. Natam exhinc infirmitatem per pharmaca saepe e diametro statui morboso opposita, et morbum exasperantia tamen tollere nituntur, eo, quod vel vicina, vel vetula quaedam, obstetrix aut Deus noverit quae medicastra haec remedia infallibilia svaserit; medicum vero tum solum consulunt, ubi patiens tumbae proximus salvandus non est. Tunc sociae malitiosae omni qua pollent eloquentia mundo praedicare nituntur, quam incongrue, et sinistre medicus hic vel ille tractamine suo, infantem peremerit, nihil arti, nihil humanitati, nihil honori, et felicitati parcentes. Ad calumnias has per omnes, et singulos medicis solis inferri solitas, tandem exterminandas, ad honorem suum, et artis divinae dignitatem vindicandam, omnis calumniatrix, et usurpatrix stringenda esset, ut dictorum suorum rationes reddat. Ecquidem nullius alterius status, character moralis ita lacessitur, ac is medicorum omni praesidio immunis violari solet.

Ad educationis influxus redux omnium postremo illius attentas reddo quasvis, qui scopo infantes sedandi, ex superstitiosa fabularum de stygibus narratione in infantes agit Perbene nempe novimus praejudicium tale, tenera aetate impressum nec sanissimis rationis principiis funditus eradicari posse. Sequelae huius sunt, quod nevroses diversae et vitia vasorum magnorum oriantur.

C. *Influxus feminae in vitam psychicam.*

Praemisso tractatu de influxu sexus sequioris in vitam physicam infantis agente, meum erit influxum huius etiam in vitam psychicam propius investigare. — Si verum namque est, ut superius iam monui, mentem sanam in corpore solum sano delitescere: verum quoque erit, facultates mentales cum organisatione in ratione directa esse debere; quanto vero sexus femineus in organisationem influere queat paulo supra exposui. Contingit tamen difformes saepe felicissimis dotibus psychicis ditatos esse, hi velut exceptiones solum a regula habendi, neutiquam contrarium probant. Si namque organisatione alienata et psychen alienatum sit, aut organisatione abnormi, hoc justo evolutum sit, sexus hic continuo influit. In priori quippe casu organisatione omni alienata, et systematis nervosi velut partis totius alienationem quis negabit? iam vero Systemate hoc ad normam non evoluto, quis functiones eius normales suspicabitur? si quis itaque infelix per errores matris tempore vel vitae foetalis, vel infantilis quoad corporis evolutionem remanserat, is certo et facultatibus mentalibus relative minus gaudens destinationi suae minus respondebit. Sic qui matre ebriosa, eclampticus, cyanosi praeditus natus, subseque fatuus, evaserit, cui sane id ipsum in acceptis referendum habebit? — Si organisatione abnormi praesente facultates mentales etiam iustissime evolutae sint, is tamen sibi, et aliis ut secus posset,

prodesse nequit. Nam quoties non evenit, ut maxime audaces, et sagacissimi; quod matre thoraculis sub graviditate utente curvis membris enixi sint, militiae inhabiles, alio vitae generi minime illis respondenti se addicere coguntur. Exemplo serviat diversitas facultatum mentalium, ex organisationis diversitate, in hominum varietatibus, ubi caucasica medium inter aethiopicam et malaicam, mongolicam, et americanam tenens locum, facultatibus mentalibus illas praecellit. Huc animi diversitas pro ratione animi matris (vide tractatum de animi affectibus) et educationis suppeditae spectat. *) (vide influxus ex educatione). His igitur crederem satis omnimodum influxum sexus sequioris in vitam physicam, et psychicam singulorum demonstravisse, et quaestio illa summi momenti, quid fiat, ut soboles sana, et robusta in qua civitatis salus, et prosperitas sita est, generetur, non aliter decidi potest, quam prudenti medicorum consilio expetito; horum enim interest non solum aegros curare, sed et morbis quoquo modo praevenire. Ne tamen vox illorum, vox sit clamantis in deserto, conveniret omnino, ut nupturae partes utraeque de officiis matrimonii, graviditatis, partusque edocerentur, et consulerent medicum an nuptiae sibi ipsi aut futurae soboli nocumento non fuerint. Isthoc inter pia desideria aeque relatum, vix unquam practicum fructum habebit, quare educationem puellarum (quondam matrum) sive corpus, sive animum respicias melius coordinandam, et principia politico-medica circa gravidas, parturientesque strictius manutenenda, praestolor —

---

*) Egregie posset hinc avaritia, prodigalitas, audacia, metus, terror, superbia, et humilitas, pertinacia, et obedientia. amor patriae, et innumera alia in psychen influentia, dilucidari, sed ob loci angustias his supersedere debeo. —

II. De influxu feminarum in societatum vicissitudines

Alterum est demonstrare „*Quemnam influxum femina in societatum vicissitudines exeruerit, et exerat de praesenti.*" Cum homo nulla arte magis ad parendum quam blanditie invitetur, quae ferissima etiam animalia sopit, cumque libentius levi, quam austero collum submittat iugo, nil prorsus mirum est, si Historia docente status regnorum tunc maxime floruisse intelligamus, ubi femineae sceptrum tenuere manus. — Babylonia pastorum antea patria domina multarum gentium, et urbs artibus florentissima evasit sub *Semiramidis* auspiciis. Urbs Betulia sacrificio *Judith*, *Holofernem* occidentis, obsidione liberata est. — Nobilis virgo iudea *Esther* formae suae venustate regem Persarum *Asverum* adeo devinxerat, ut is decretum peremtorium contra Judaeos captívitate detentos, svadente *Aman* concinnatum in auctoris caput verteret. Quanta ex hinc in adflictum populum salus! — Oraculo delphico *Pythia* virgo praesederat. — Libri Sybillini tanti aestimati, femineae sunt originis. — Graecos, qui in diversos populos antea sparsi, sibimet odio infensi fuerant, et quos nec concilium *Amphyctionum* placare potuit, raptus *Helenae* uxoris *Maenelai* per *Paridem* in commune vocaverat foedus, excidio Trojae haud terminandum — *Dido* phoenicia *Pygmalionis* effugiens insidias, Carthaginem condidit. — Nympha *Aegería* Numam Pompilium Religionem edocuit, ipsaeque virgines sacrae religionis egerunt ministras. — Raptus virginum Sabinarum grave concitavit bellum: ast dum raptae in medium involant bellum, genitosque cum romanis monstrant, martis furorem sedant, romanamque cum Sabina cognatam constituerunt gentem.

Laesa per *Tarquinium Lucretiae* castitas superbos Roma pepulit Tarquinios, eamque rempublicam fecit. — Rapta per *Appium Claudium* virgo romana, quam parens in concilio populi propria peremit manu, ne libidini Decemviri serviret Legibus XII. Tabularum originem dedit. — Armata manu imminentem *Coriolanum* femineae moverant preces, ut occidi potius a Volluscis mallet, quam patriae carae quatere muros. —

Quantum ad militarem virtutem excitandam sexus sequior contulerit, medium testatur seculum; nam mulieri cuidam nisi Equiti, illique multis trophaeis claro iungi, impudicum erat. Jam olim apud Germanos, et Persas feminae viros in bellum sequebantur, et vel pugnantes, vel solum ex muris praelia sollicitantes, virorum auxerunt audaciam. Debiliorum quippe audacia, prostratum fortium erigit robur. Succiae, Daniae, et Norvegiae regna prius cruentis bellis dilaniata, sub *Margaretha* foedere Calmariensi unita, amica evaserunt. Sub *Christina* Gustavi Adolphi in bello tricennali peremti filia, Svecia maioribus gavisa fuit emolumentis ac sub *Carolo* XII-o qui vix regni sui Rex dictus, dum aliena petiisset, propria perdidit. — Anglia prius vera turbarum sedes, per *Elisabetham* composita, domina oceani evasit. — Russiae effigies sub utriusque *Catharinae* regimine magis plasmata est, quam alter ille Prometheus, *Petrus* Magnus longo annorum labore perficere nequiverat. — Virgo Aurelianensis Galliae regnum a hostibus liberavit, regemque juribus suis restituit — Flagello orbis *Attilae* Honorius Imperator filiam suam desponsans Hunnos occidenti amicos reddidit. — Non pauca historiae patriae data, influxum sexus sequioris in statum nostrum referunt, ut ceteris subsideam, solius immortalis *Mariae Theresiae* plurimum de prosperitate et felicitate civium statusque ipsius meritae, mentionem facio.

Religio quoque Christiana insigni societatis emolumento, quae in mores huminum temperandos plus contulit, quam omnium philosophorum praecepta, influentibus feminis in pleraque regna induci meruit. — Sic efferatum prius Geyzam, ducem Hungarorum *Sarolta* uxor una cum gente religionem christianam amplecti coëgit. Clodovaeum Gallorum regem, *Clotildis* regina converterat cumque regis ad exemplum, totus componatur orbis: nil mirum est, religionem christianam sine vi inductam esse, quod Carolo magno immolatis nonnisi 6000 Ssaxonibus successerat.

Litteras per feminas non modica coepisse incrementa, aeque Historia testatur. Ecquidem Ludi Olympici, donec feminis aditus praeclusus erat, cursu, luctaque absolvebantur, tardius post admissionem feminarum lyra, eloquentia, et poësis invaluerunt. An non et hodie ob influxum sexus alterius in virilem plurima carmina fiunt? plurimi namque juvenes certo tempore poetae esse contendunt. — Inest feminis singularis morum mansvetudo, et teneritas, cui viri semper pari occurrere, omni tempore studuerunt. Hinc nil mirum est, si illis influere valentibus, humanitas ferociae, virtus secleri, magnanimitas pusillanimitati, pax bello successerit ut adeo iniquum sit feminas illis orbare trophaeis, quae inducta per illas socialitas, religio, et pacis studium merentur.

Cum feminis innata sit illa debilitas corporis venustatem rebus quoque externis augere, sicque virorum maiorem complacentiam lucrari, hinc nil intactum relinquunt ad scopum hunc assequendum, quare luxui tam in selectu vestium, rerum mobilium quam alimentorum, et potelentorum student. — Ob increscentem luxum usus rerum ignotarum ex exteris oris commercio solum comparatarum, invaluit, unde primo Geographiae magna accessere emolumenta, quod cognitio telluris nostrae,

et regnorum penitior nacta fuerit. *) Cum Studio Geographiae, res nautica, Physica, et Astronomia nova incrementa coeperunt. E Studio peregrinas petendi oras per commercium illinc fotum, Philologia invaluit, cumque fieri nequeat ut quis gentem oderit, cuius lingvam noverit; antiqua populorum in se mutuo habita odia temperata sunt, gressusque factus ad id, ut homines iisdem parentibus nati, sibimet mutuo iungantur. Per Philologiam cultura lingvae invaluit. — Ob luxum feminarum in vestitum usus serici, et artes texendi, nendi, tingendi, pingendi etc. invaluerunt unde nova incrementa in artes has continuo accedunt. Historiae naturali per cognitionem plantarum, animalium, mineralium, ipsonumque populorum prius in cognita quis negabit multa et magna emolumenta non accessisse? Per mercatum luxu feminarum conditionatum, et medicinae non modica accesseserunt commoda. Nam cum cognitione populorum antea ignotorum non solum organisatio, et psychen, sed vitae modus, aetatis duratio, modus educationis, morbi illorum, et horum tractamen, causaeque morborum periculossissimorum innotuerunt. Huc observationes circa partus, curam gravidarum, et alia per decursum iam exposita, referenda sunt.

Culturam nationum si verum est; eo altius prodere culmen, quo gustus aestheticus magis perficitur: dubio caret ad hunc evolvendum feminas quam plurimum contulisse. Etsi enim feminae ob minorem facultatum evolutionem (quod etiam per educationem pravam conditio-

---

*) Detectionem Americae per *Christophorum Columbum Isabellae* Reginae, Ferdinandi Catholici uxori in acceptis habemus referendum, quae virum scientia, et perspicuitate clarissimum in exequendo proposito suo adeo iuverat. — Sic *Ferdinandus Magellan* ad orbem circumnavigandum agente Regina Portugalliae protectus fuerat. En influxum feminarum in scientias.

natum esse potest) profunda circa decorum, pulchrum, sublime, et magnum iudicia depromere non soleant, innatum tamen illis est aspera quaeque aversandi, et iucunda appetendi. Hinc patet quare viri dum sexui altero complacere student (quod nemo nisi mysantropia laborans recusabit) externum habitum, loquendi, et agendi modum ad illam cynosuram ordinare soleant, quam sexus sequior postulat. — Sane unus quisque observavit, crudissimum quemque nisi effrons esse velit, in medio cum feminis consortio constitutum cuncta violente supprimere, quibus sexus adeo sensibilis offendi posset. — Experientia teste constat: culturam nationum eo altius locatam esse, quo conversatio conformi-aestimio celebrata inter utrosque sexus maior obtinet. Verum quidem est per culturam latius extensam, luxu cooperante morbos numero auctos esse, et ex hinc populi frequentiam imminui posse; sed ob innatam hominibus cultis sagacitatem, sinceritatem, mansvetudinem, et humanitatem, totidem proles secus deperditae, utilissimi status cives evadunt. — Solus homo *cultus* actionem potentiarum nocentium effugere valens, omni occasione, vitae suae novas suppeditat vires. Solus homo *cultus* aegrotans salutem suam circumphoraneorum, et empyricorum manibus non concredens eo sibi prodesse non deesse studet. Quanta per matrem cultam in civem futurum diversissima redundant emolumenta utique notum est. —

Ob tanta in humanitatem merita, nil mirum est, si antiqui musas, sapientiam, nobilissimosque cordis humani affectus, ut: *Fidem*, *Spem*, *et Charitatem* muliebri pinxerant forma — Feminas in facta virorum semper arbitrium exercuisse notum est, et viri a propositis suis nullis argumentis deflectendi, solo amore feminarum victi non amplius nocumento, sed emolumento fuere, generi humano.

In praecedentibus fere exclusive de laudibus sexus sequioris egi, non possum tamen non, eas et noxie in societates influxisse, et magna generi humano damna generasse indicare, quibus enumerandis supersedeo; cum potius laudibus, quam vituperiis delecter.

Pro ratione virium mearum praecipuos influxus sexus sequioris in vitam socialem, vitam physicam, et psychicam, atque societatum vicissitudines adumbrans, regulas his influxibus praevertendis adaequatas, partim ob operis huius angustias, partim quod e natura rei ipsae fluant, partim vero quod de his plures auctores omni fama celebratissimi, succinctim, et optime scripserint, exponere, supervacaneum censui. —

Theses.

1. Educatio feminarum melius coordinanda esset, ut sic matres evasurae se, et fructum tueri noverint.
2. Mariti feminas suas gravidas inurbane tractantes, puniendi essent.
3. Status conjugalis multa secum fert commoda, et solatia.
4. Educatio omnium remediorum prophylacticorum princeps est.
5. Causa varioloidum, et variolarum crebrarum, male instituta vaccina est.
6. Coffeae usus, non abusus noxius vix est.
7. Mortuorum sepultura intra civitatem penitus interdicenda esset.
8. Una praecipua medici dos est „*Taciturnitas.*
9. Ophtalmiae specificae, phlegmonosis periculosiores sunt.
10. Consvetudo fit altera natura.
11. Medicus non *Magister*, sed *Minister* sit naturae opertet.